



~~CH.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-27

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

St. Nikolai Aled

29

THESES  
DE  
**NOTICIIIS DEI ET  
VOLVNTATIS IPSIVS,  
HVMANIS ANIMIS NATVRA**  
insitis & disciplina exultis,  
de quibus

**PRÆSIDE DANIELE HOFMANNO**  
*SS. T.H.D. & professore, respondebit*  
*Exercitij gratia*

**M. CASPARVS PFAFRADIVS,**  
eiusdem Facultatis Lector publicus.

*Mense Maio.*

In Academia Iulia.



**HELMAE STADII**  
Excudebat Iacobus Lucius Anno 1593.



## DISPV TATIO

*De Noticijs Dei & voluntatis ipsius hominum mentibus innatis & disciplina excultis.*

### I.

**B**obertus Bellarminus robora belli in armis minus promta habens astu potissimum impetit aduersarios suos, talique animo controuersias suas aduersus fidem nostrarum Ecclesiarum exorsus est à delirijs Enthusiastarum, verbum Dei in scriptis propheticis & Apostolicis traditum posthabentium proprijs somnijs.

### II.

Hic dolus deriuandi in innocentes crimen pessimus est, eumque maximè infamat, qui reus est eius quod alijs præter meritum intendit, sicut hoc loco Bellarminus potius à refutatione sui quam Lutheri exorditur.

### III.

Planè n. impossibile est, vt qui religione obstrictus est Papæ, non sit iuratum mancipium Decretorum humanorum ex quibus nonnulla Dæmoniaci raptus pepererunt.

A 2

Quia

III.

Quia verò isti serui somniorum humanorum sua tingunt qualicunq; rationis humanæ æquitate, & ex hac promittunt complementum eorum quæ scripto Dei verbo deesse fingunt, primarium fundatum Theologiæ ipsorum, quo quidem vbi maximè sibi sapere videntur, præcipue nituntur, est humaua de D E O eiusq; voluntate commentatio.

V.

Eidem basi similiter superstruunt fictitias suas reuelationes Enthusiastæ, vt vix ouum ouo tam sit simile, atq; pontificius Theologus sui ordinis proprium seruans, Schvvenckfeldio, cuius inuidiam Bellarminus in exordio suarum controueriarum, in Lutherum eiusq; genuinos discipulos deriuare conatus est. Istius igitur aduersarij gratia libet Disputationes Theologicas ( ordine enim continuabimus illas, quantum Christus iuuerit ) auspicari à notitijs naturalibus.

VI.

Est præterea suus locus rationi humanæ in disciplina Theologica, nec leuibus de causis primas sibi non iniuria vendicans prima examinanda fuerit.

Vbi

VII.

Vbi enim Deus initium facit, primo statim creationis opere, notitiam sui instillans hominibus, ibi & seruus Dei recte auspicatur, quodq; ingenitum est, ascititio iusto ordine prius habetur. Natura etiam parabile promptius erit eo, quod viribus naturalibus negatum est.

VIII.

Indulgendum quoq; non nihil ambitiosis animis, ne quos docere cupimus intempestiuā & iniqua morositate offendamus, itaq; ab auscultatione primo statim in limine absterrreamus.

IX.

Eadem connuentia arte regi potest, cum frenis laxatis animus luxurians seipsum fatigare & confidere prudenter permittitur.

X.

Verè n. eueniet quod Paulus inquit Rom. I.  
εμαλακώθησαν στοις διαλογισμοῖς Ἐπ. Φάσκοντες εἴναι τοφοὶ εμαράνθησαν.

XI.

Ad quandam igitur subuersiōnē suarum rationationum, quæ durante confidentia carnali plurimum remorantur sincerum Theologiæ studium, arrogantiæ humanæ non inutiliter indulgetur.

A 3

Sicut

XII.

Sicut enim viam impeditam ambulaturus, obstacula amouet vel deicet, ut superari queant: Ita viam studij Theologici ingressurus rationis suæ impedimenta, in primis quæ aduersus Dei cognitionem salutarem extruuntur, pedibus suis subiungere ante omnia discat.

XIII.

Potest etiam mens superba confusione suæ sapientiæ adigi ad confessionem indigentiarum, quæ perfectiorem doctrinam postulet, vnde ad patefactionem creatoris in verbo (quoniam mens humana amplissimum Creaturæ librum euoluens deficit) aperitur aditus.

XIV.

Non igitur temere & frustra sed propter causas graues, utiliter, fauente Deo, initium Theologiæ latè acceptarum in quibusdam rudimentis animi humani ponimus, studiumq; Theologicum ab estimatione eorum inchoamus.

XV.

Omnis n. scientiarum quædam sunt Principia mentis hominis in Creatione insita quæ dicuntur ἀρχαὶ vel ἀρχῶν ἀρχαὶ. Item novae ἐπιστολae, communes notiones: ἀρχῶν ἐπιστολαι, primæ animi intentiones:

πρῶτα



*πρώτα φύσεως*, ordine naturæ prima: *ἀπολύτης*, anticipations, *ἀξιώματα*, honoraria & dignissima pronunciata.

XVI.

Ex his quæ moralia sunt Principia, quædam Theologica dici possunt, quia sunt reliquæ Legis diuinæ insculptæ animis humanis à Creatore.

XVII.

Quæstio tamen: An sint tales notitiæ innatæ de D E O, à non paucis disceptatur, qua in lite affirmatiuam amplectimur.

XVIII.

Non n. dubitamus assuerare, quod notitiæ de D E O & voluntate ipsius, mentibus humanis initio impressæ sint & post lapsum aliquales reliquæ manserint, quas primi parentes posteris ingenerarint: ut de consilio autoris essent fons doctrinæ Moralis, rectrices vitæ, & vt impios in iudicio redderent *ἀναπολούτους*.

XIX.

In homine integro quin fulserit illustris cognitio Dei nemo ambigit, qui hominem ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate veritatis conditum fuisse didicit.

XX.

Certum

Certum etiam est per corruptionem, quæ se-  
cuta est primā ~~magis~~, non planè ex animis lapsorum  
deletam fuisse omnem notitiam Dei, et si spi-  
ritualis cognitio omnino detrita & nequidem na-  
turalis capacitas istius residua manserit.

XXI.

Sacra scriptura disertè affirmat primos homi-  
nes post lapsum agnouisse vocem Dei, timuisse,  
quod nudi essent, abscondisse se à facie Iehouæ,  
nec non meminisse dictorum & factorum Dei &  
de discrimine honesti & turpis orationem medi-  
tatos fuisse.

XXII.

His extra controversiam positis, hæret quæ-  
stio: Num Adam & Eua generando propagarint  
in posteros similes notitias quæ etiamnum vige-  
ant?

XXIII.

Hic sanè dignum esset, ipsam mentem huma-  
nam probè sibi conscientiam esse eius quod teneat,  
deq; eo liquide sibi ipsi testari & contra negantem  
constare posse: verum exquirientibus testimonio-  
rum eius, lites ipsa mouente oriuntur.

XXIV.

Quam



Quàm turpe igitur est, naturæ nostræ commune donum venditare, quod vbi probare debas, ad se ostendendum non appareat, vel scipsum etiam neget?

XXV.

Sic duo eximij coriphæi exultæ sapientiæ humanæ, Plato & Aristoteles, non parum dissentunt de vniuersalibus primisq; notitijs humanarum scientiarum, num quædam nobiscum nascantur.

XXVI.

Hoc exemplū pudendi conflictus in limine noticiarum nobis ingenitarum, & de his ipsis initio statim intueamur, vt retundatur tumor animorum naturalis Theologiæ præsumptione inflatorum.

XXVII.

Nequaquam tamen istis dissidijs perculsi ad purā inficiationem notitiæ de Deo nobis congenitæ, adigi nos patiamur, cum etiam Aristoteles, quem negantes patronum aduocant, medio inter perfectam notitiam & perfectam ignorantiam dato, puram negationem fugiat.

XXVIII.

In Ecclesia vero affirmatiua liquidior est, &

B

certior

certior, quam tuemur, et si nec inter Ecclesiasticos  
scriptores aduersarijs caruerit.

XXIX.

Quod homines naturali vi ratiocinationis  
colligunt esse Deum bonum, iustum &c. hoc mi-  
nus impugnatnt & sunt qui sententias cap. 1. ad  
Rom. eodem reuocant.

XXX.

Sed cum Intellectus ordinis in Syllogismo et-  
iam citra institutionem in homine deprehenda-  
tur, vsusq; à quibusdam pendeat principijs, quibus  
nititur vel ratiocinationis vel rei veritas, per ipsos  
*διαλογισμοὺς* potius confirmantur, quam tolluntur  
notitiæ ingenitæ.

XXXI.

Vtq; in ijs, quæ de Deo & voluntate eius sunt  
hic consistamus, Paulus vt peritus ex fundamento  
aliquid firmiter extruendi notitias diuinitus natu-  
ræ insitas asserit Rom. 1. & 2.

XXXII.

Notetur autem diligenter propositum Apo-  
stoli: Vult euincere omnes homines esse transgres-  
sores Legis Dei, neq; eximi illos, quibus lex Dei vo-  
ce vel scripto non sit tradita, cum legem non ha-  
bentes



bentes sibi ipsis sint lex &c. ut sint in iudicio Dei  
*αὐτοπολόγητοι.*

XXXIII.

Iam si discentes tantum intellexeris, reliquos ab annis disciplinæ remotos è numero peccatorum excludi itaq; non omnibus in iudicio Apologiam præcidi, manifestum est.

XXXIV.

Hoccum principalem statum Apostoli cuerat, interpretationem arguit peruersam, ideoq; non tantum de illa legis notitia agit quæ ratiocinando comparetur vel discatur, sed de tali, quæ omnibus omnium ætatum hominibus communis sit.

XXXV.

Quid etiam est veritas in iniustitia hominum detenta aliud, quām *γνῶσθε τὰ θεῖα*, hoc est quod de Deo noscitur. Dicitur etiam hoc manifestum esse in ipsis ne ab extra tantum illatum putetur. Sic Deus ipsis manifestasse scribitur, ut creatoris opus agnosceretur, non ingenij tantum humani.

XXXVI.

Quæ sequuntur de ratiocationibus, ex præmissis manant, & eadem illustrant, imò & præsupponunt sicut in scholis dicitur: Cognitio conclu-

B 2

sionis

sionis non dependet, nisi ex cognitione principij  
& deductione conclusionis à principio.

XXXVII

Sic eòdem recidit γνῶσιν τὰ θεῖα σύμφυτα, & quod  
de æterna tum potentia, tum Deitate creatoris  
concluditur, quæ est illa ipsa veritas in iniustitia  
detenta.

XXXVIII.

Rectè igitur statuitur, vtrumq; lumen huma-  
nis mentibus aliquo modo insitum hic affirmari,  
Notitiam videlicet simplicem & ratiocinationem.

XXXIX.

Qui de ingenita notitia in verbis Apostoli ma-  
iorem perspicuitatem desiderant, adeant eum  
cap. 2. Rom. vbi sic scribit: Cum gentes quæ Le-  
gem non habent, natura quæ legis sunt, faciant,  
ipsæ legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, vt qui  
ostendant opus legis scriptum esse in cordibus su-  
is, simul attestante eorum conscientia & cogita-  
tionibus mutuò sese accusantibus aut etiam excu-  
fantibus.

XL.

Quid hīc aliud dicitur, quàm discriminē recti  
& non recti, seu honesti & turpis, cum intuitu  
Numinis animaduertentis in opera naturæ , in-  
scul-

sculptum esse animis hominum, illudq; esse legem  
DEI?

XLI.

Quidam cvidentia verborum constrictus cf-  
fugium sibi quæsiuit in particula ὄταν, quam condi-  
tionaliter putat accipi, ne factum largiatur. Ve-  
rūm hoc modo discrimin honesti& turpis, ex ani-  
mis hominum delebitur & testimonium consci-  
entiæ mendacium fingetur, quæ sunt portenta o-  
pinionum abominabila.

XLII.

Eruditi syllogismum practicum considerent  
& huc accommodent. Constat ille οὐτηρῆσει & οὐ-  
ειδῆσει. Σωτήρησιν vocarunt partem animæ conseruan-  
tem notitias, gubernantes mores: Σωείδησιν consci-  
entiam facinorum.

XLIII.

Exempli gratia: Σωτήρησις est custos huius axio-  
matis iudicialis: Nemo est lædendus. Σωείδησις est  
iniuriæ conscientia. Σωτήρησις maiorem propositio-  
nem promittit non nudam, sed comminationi auto-  
ris inuolutam, simulq; ostendit faciem iudicis.  
Talis igitur Maior fuerit: Omnis lædens alium, di-  
uinitus punietur: Conscientia est subsumtio iniu-

riæ factæ. Iunctis hisce Cor facinorosi necessario palpitat, sicuti connexio maioris & minoris necessario conclusionem veram gignunt.

XLIII.

Hoc ipsum velle Apostolum patet. Ait enim, legem scriptam esse in cordibus hominum, cui associetur conscientia συμαρτυρία, qua ponderosa voce vtitur, vt tum maioris & minoris cohærentiam, tum necessitudinem illam inter legem & conscientiam ad concludendum propendentem, hoc est conclusionem immotam gignentem prædicet.

XLV.

Habemus igitur non nudas assertiones, sed autoritate Spiritus S. dictantis simulq; argumento omnium nostrum animos vel inuitos conuincente, munitas, quibus constantissimè asseveratur, ingenitam nobis esse notitiam quandam numinis probantis recta & improbantis non recta.

XLVI.

Cynici nihil natura iustum esse dixerunt, sed tantum opinione. Hæc contumelia in Deum redundat, & refellitur ἀνκαπνοίσι contradicentis. Manifestum a. est in ipsis & in corde eorum, quod foris

foris ore negat. Ideo grauiter & recte D. Melanchthon in Locis: Dubitare vtrum iusta & iniusta natura vel opinione discernantur, turpe & flagitiosum est, perinde ac si quis quærat, an natura vel casu bisquatuor sint octo.

XLVII.

Qui terriculamentis legum & vltionum humanarum homines tales formari dicunt, redarguntur experientia vniuersali & singulari seu propria:

— Prima est haec vltio, quod se  
Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamvis  
Gratia Praetoris fallacem vicerit urnam.  
Item: — Cur tamen hos tu  
Euasisse putas, quos diri conscient facti  
Mens habet attonitos ac furdo verbere cedit.

XLVIII.

Etiam sua opinione fortiq; persuasione exlex, quiq; maior est omnibus minis humanis, nec vltorem inter homines ullum nouit, intus trepidat commisso scelere, vt Alexander Magnus.

XLIX.

Etiam illos, qui recte monentes non audiunt, sibiq; in suis opinionibus bellè placent, Paulus vocat avnualangit&es. Tit. 3. Horribilis igitur peruersitas & furor est, notitiam Numinis ex mente humana eradere velle.

Constat

L.

Constat potius D E V M condidisse in mente humana sui suæq; voluntatis notitiam, quæ sit Veritas & *διαιώνια* ipsius, & amplietur ratiocinatione, conseruata post lapsum gubernatione morum in hac vita & probatione Iustitiæ in damnatis *ἀναπλούγησι*.

LI.

Reliquæ tamen & particulæ tantum sunt legis Dei omnes naturales siue ingenitæ siue disciplina comparatæ notitiæ de Deo æterno, omnipotente, bono, iusto, &c. & longè absunt ab integritate legis, quam Deus suo verbo patefecit.

LII.

Neq; innatum, neq; usu rationis innotuit, homini verum Deum esse Patrem, Filium & Spiritum S. Ignorat quoq; animus, naturæ tantum relitus, fontem peccatorum, quantum item in uno quoq; opere postulet perfectio legis, quantumq; laudatissimis etiam virtutibus Gentilium deroget prava conscientia.

LIII.

Nescit etiam Natura tueri quod habet, sed ratiocinando ad vanitatem transit, seipsam perturbat, assensum languefacit, honestis & probatis inuita

vita studet, ingrata Deo Christiq; nescia ad glorificandum eum peruersè laboriosa est, & vt multa paucis complectamur, tota sua natura, naturaliq; facultate & actionibus suis quibuscunq;, si pure naturalia fuerint, ad Deum sese habet impiè & hostiliter.

LIIII.

Hæc indicare voluit Apostolus cum veritatem Dei in iniustitia detineri dixit, id est, ( probamus enim hanc Melanchthonianam explicacionem ) Etsi impressa est hominibus vera notitia, quod sit Deus vna quædam æterna mens, conditrix & conseruatrix rerum sapiens, bona, iusta, &c. quod huic Deo obediendum sit iuxta discrimen honestorum & turpium: tamen hæ veræ notitiæ detinentur in iniustitia, id est, captiuæ tenentur, non regnant, sed regnat iniustitia, pugnans cū his notitijs, scilicet Auersio voluntatis à Deo, contemptus Dei, fiducia propriarū virium, deniq; variji impetus, pugnates cum lumine diuinitus insito mentibus: Ideo & assensus infirmiorest, ac.

*Fertur equis auriga, nec audit currus habens*

LV.

Multis igitur modis apertissimè falsa est scho-

C lasti-



Iaſticorum Pontificiorum opinio: Naturalia ho-  
minis post lapsum mansisse integra.

LVI.

Nondum hos vrgemus peccati originis atro-  
citate, quam verbum Dei describit, sed permitti-  
mus, vt in sua palæstra prius decertent, naturali-  
bus donis naturaliter pugnando. Quis verò illo-  
rum vllam Thesin de Deo æterno, simplicissimo,  
infinito, ratiocinationum telam prosequendo ita  
pertractauit, vt non exhibuerit exemplum eius  
quod Apostolus dixit: *Vani facti sunt in ratiocina-  
tionibus suis?*

LVII.

En insignem vsum concessorum, sapientes  
nimirum in sua sapientia constringendi, vt si pa-  
lam furere nolint, fateri cogantur, Lucem naturæ  
in diuinis, quanto magis agitetur, tantò vehemen-  
tius obtenebrescere. Atq; sic ratio aliàs subijci ne-  
scia, sua tamen mole corruens, suisq; non tegendis  
amplius lapsibus confusa, adigitur ad confessio-  
nem: *Alia diuina patefactione sibi omnino opus esse.*

LVIII.

Restat vt naturalia dona cognitionis Dei cen-  
seamus, qualia sint in se, & collata ad spiritualia,  
simulq; detenta in iniustitia.

Ponti-



LIX.

Pontificij enim suum Pelagianismum modò datis adeò speciose tuentur, vt nonnullis refutatio eorum deficere videatur nisi planè negetur, quicquam veritatis & legis diuinæ nobiscum nasci.

LX.

Neutra tamen opinio constare potest. Quod enim hi deletum cupiunt, hoc & in corde hominis diuinitus insculptum & in s. paginis multis affirmatum deprehenditur. Quod verò illi vel eliciunt vel assuunt, palam negatur innumeris s. scripturæ testimonijs.

LXI.

Semper quoq; accuratè cauendum est, ne extrema extremis oppugnemus, sicuti Manichæi & Pelagiani se se mutuò conficiunt oppositis erroribus.

LXII.

Contra Manichæos tenendæ sunt hæ sententiæ: Omnis creatura Dei bona est. I. Tim. 4. Nihil di <sup>ἐαυτῷ</sup> per se pollutum. Rom. 14. Veritas in iniustitia detinetur. Rom. 1. Hinc Augustini testimonium lib. de natura Boni aduersus Manich. c. 3. Etiam ipsa corrupta natura in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta est, mala est.

C 2

Et D.

Et D. Lutherus in 4. cap. Gen. Spirituales homines debent distinguere inter peccatum Originale, & Creaturam.

LXIII.

Contra Pelagianos nos vrgemus, quod Paulus non quidem inducta, neq; tamen etiam obstante assertione veritatis & Legis Dei in corde hominis naturali, omnes homines sine distinctione pronunciet peccatores, qui careant gloria, Dei, & sine operibus suis ex mera gratia omnigloriatione carnali per legem fidei exclusa, fide iustificantur, Rom. 3. Eramus omnes natura fidei iræ. Eph. 2.

LXIII.

Sæpè vtitur Apostolus carnis & spiritus oppositione, & vtriq; sapientiam attribuit, sed ingenti discrimine intericeto.

LXV.

In causa efficiente vtiq; conueniunt, quatenus Deus vtriusq; sapientiæ autor est & donator. Distincta tamen est actio Dei generalis, qua ea quæ huius sunt seculi operatur: Et specialis, qua æterna bona gratificatur. Nec frustra Paulus i. Cor. 2. distinguit inter spiritum mundi, & spiritum, qui est ex Deo.

Subie-



LXVI.

Subiectum vtriusq; sapientiæ est Homo, qui quatenus naturalis est, tantum caro est, & non spiritus. Spiritualis autem vt nouus à veteri discernitur. Ioh. 3. Rom. 7. 8. Eph. 4.

LXVII.

Nouus homo non ex sanguine, neq; ex voluntate carnis neq; ex voluntate viri nascitur, sed ex Deo seu Spiritu. Ioh. 1. & 3. Ergo tota vis & sapientia carnis ad hominem regenerandum & spiritualibus aptum reddendum nihil de suo confert, itaq; ab omni causa spiritualiter sapiētis remota est.

LXVIII.

Sapientia carnis seu naturæ lex et si sit veritas Dei & δικαιωμα τε θεος Rom. 1. λόγῳ tamen φυσικῷ alia est à spirituali, fineq; suo naturali, mundo solummodo & seculi huius rationi accommoda est. Vnde & sapientia Mundi & seculi huius vocatur, vt sic forma fineq; dissiliant, Generalis & spiritualis sapientia.

LXIX.

Permagna vtiq; in ruello distant, cum φρόνημα  
τῆς οὐρανὸς, quæ est excellentia sapientiæ mundi, Legi Dei non subijciatur, & ne possit quidem. Rom. 8. 2. Quod animalishomo non capiat ea, quæ sunt

C 3

spiri-



spiritus Dei, nec possit ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicentur. 1. Cor. 2. 3. Quod intelligentia carnis mors sit; Intelligentia vero spiritus vita & pax. 4. Quod intelligentia carnis inimicitia sit aduersus Deum: Intelligentia vero spiritus spiritum Dei inhabitare faciat. Rom. 8.

LXX.

Ista qui expendit, sapientiam carnis & spiritus toto genere distincta agnoscit, & quidem ita differre discit, ut Lumen carnis seu naturæ ad lumen spiritus seu gratiæ sese habeat sicut tenebrae ad veram lucem. Iohan. 1.

LXXI.

Vbi videlicet opus sit nō persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed sermone spiritus & potentiarum. 1. Cor. 2. ut fiat Illuminatio, immo Regeneratio nouam producens creaturam, & veteribus præteritis noua omnia faciens. Iohan. 1. 3. 2. Cor. 5.

LXXII.

Eadem sunt sententiæ Legis naturæ & Legis spiritus. Deus est unus, æternus, iustus, bonus, &c. Sed non eadem eius notitia in mente veteri & noua. Veritas sententiarum non mutatur, sed eius notitiam veterem, et si ex creatione reliquam,

quo-



quoniam huic vitæ tantum seruit, mutat spiritus,  
accensa noua luce cognitionis spiritualis, quæ a-  
missa fuit per lapsum, ordinata verò ad æternam  
salutem.

LXXXIII.

Hæc de Voluntatis, mentis & cordis innoua-  
tione, qua refinguntur & denuò creantur subiecta  
donorum Dei, ipsaq; dona permutantur, probè  
sunt consideranda.

LXXXIII.

Apostolus enim i. Cor. 1. 2. & 3. nos grauiter ad-  
hortatur, ne naturalem & spiritualem notitiam  
confundamus, cum huic illa non misceatur, sed  
cedat. In primis obseruetur, quod ipsa potentia  
de nouo creetur, qua homo ad percipiendum spi-  
ritualia aptus fiat, planè inepta & refractaria defi-  
nita potentia naturali. Idcirco actum notitiæ spi-  
ritualis à carnali seu naturali toto genere diuer-  
sum esse necesse est. Vanaq; erit illius ad effecta  
gratiæ conductæ ratio.

LXXXV.

Hinc responderi potest ad Obiectionem  
scholasticam.

Ratio quæ potest intelligere principium naturali-  
ter,

ter, potest naturaliter intelligere omnem conclusionem intentam & contentam in illo principio. Ratio humana principia quædam de Deo natura-  
lia fouet. Ergo &c. Concedo totū de possibiliitate, seruato eodem genere principiorum & conclu-  
sionum in ijs contentarum. A naturali verò ad spi-  
rituale eodem modo procedere velle ut scholaсти-  
ci pelagianizantes factitant, est diuersa mentiri  
eadem.

LXXVI.

Et formam & finem spiritualis legis in poten-  
tijs animæ nouis, à lege Dei naturaliter fulgente in  
viribus vetustis sic discernit Apostolus I. Tim. I. Fi-  
nis legis est charitas, ex corde puro, conscientia  
bona, & fide non ficta. Nihil enim harum condi-  
tionum in illis, quibus cor impurum, conscientia  
faucia, fides simulata fictaq; est caritas, qui ad sua  
propria, quicquid habent, informant, suaq; fædi-  
tate dona & opera inficiunt.

LXXVII.

Pudendi ergo errores sunt eorum, qui docent:  
Quod Homo, si fecerit, quod in se est, naturaliter  
possit Deum diligere super omnia, quodq; Gentes  
naturaliter faciendo quæ legis sunt assequantur Iu-  
stitiam, qua DEO placeant & saluentur. Pu-

LXXVIII.

Pudet nonnunquam Pontificios ista *παράδοξα* apertius profiteri, neq; tamen desistunt palliare & hic obtrudere eadem, quo in numero est etiam Bellarminus.

LXXIX.

Hic enim Tom. I. Cont. 6. lib. 2. cap. 9. p. 128. simulat, quod credat peccatum originis, & videtur satiis liberaliter loqui, cum inquit: Anima subiectum est & causa efficiens peccati. Reuera autem peccatum innatum animæ nullum credit, maximè verò Intellectum à propria corruptione absoluuit, quoniam hæc verba subiicit: Peccatum est actus liberi arbitrij, & ideo à sola voluntate propriè fieri dicitur, & in sola voluntate formaliter inuenit.

LXXX.

Imperito scholasticarum disputationum vix apparet, quid in recessu velit Bellarminus. Reptenda igitur est doctrina ex officina magistrorum. Et Lombardus quidem lib. 2. dist. 30. confidenter negat, peccatum originale trahi à parentibus secundum animam, contendit autem id fieri secundum solam carnem, ex cuius tamen contactu a-

D nima

nima cum infunditur, maculam trahat, qua pol-  
luatur & fiat rea.

LXXXI.

Hinc Alexander Doctor irrefragabilis appellatus, dixit, Originale esse in carne causaliter, in a-  
nima subiectiuè.

LXXXII.

Quæsitum est præterea curiosè, secundum quid Originale primò insit animæ, an ratione ès-  
sentiæ vel potentia? Alij hoc, alij illud statue-  
runt. Qui ratione potentia inesse voluerunt, rur-  
sus feligere cœperunt certam potentiam; Et Bo-  
nauentura modò Appetitiam modo Volunta-  
tem definit. Inter omnes commodius responde-  
re videtur Thomas cum scribit: Originale causatur  
in anima ex coniunctione eius ad tale corpus, ut  
est forma illius. Sic enim ex vtrisq; coniunctis ta-  
lis natura resultat. Oportet quod in essentia ani-  
mæ primò principaliterq; ut in subiecto Originale  
consistat, in potentijs autem ex consequente. De-  
niq; per Originale omnes potentia animæ infici-  
untur, quæ non vniuntur nisi in essentia. Ergo o-  
riginale peccatum per prius essentiam respicit.  
Hæc Thomas, Originale peccatum per vim gene-  
rati-



ratuam, ut ait, traductum, fundans in essentia animæ, quomodo putari posset, docere eum, quod corruptio quædam ipsam animæ essentiam inuaserit.

LXXXIII.

Quod verò nihil aut parum dicat subtilis argutator, descriptio Fomitis, vix malū aut certè leuissimè malī, cum dispositio potius ad malum, quàm malum censeatur, ostendit, & conqueritur de hoc, quod Scholaſtici peccatum originis verbis testentur, reuera autem negent. Apologia August. confessionis.

LXXXIV.

Idem Thomas disputatione de actibus potentiarum animæ, ad quod Bellarminus sua peccati definitione collineat, palam facit. Malum enim quod à culpa diuellit in actibus Intellectus & Voluntatis diuersimodè reperiri dicit. In Voluntate actum malum ex obiecto esse contendit. Malum autem in actu Intellectus ait accedere ex proportione indebita intellectus ad rem, puta ex hoc, quod intellectus aliter apprehendit rem quàm est. Actus quoq; Intellectus, inquit, non habet rationē culpæ, eodem modo quo actus voluntatis. Quo-

D 2

niam



niam ratio culpæ primo in actu voluntatis inuenitur. In actibus autem Intellectus & aliarum potentiarum non nisi secundum quod imperati sunt à voluntate.

LXXXV.

Quis hinc agnoscit corruptionem Intellectus originalem, cum actus intellectus non naturali eius prauitate, sed ex contingente eius aberratione à vero malus, neq; suo vitio, sed ex voluntatis imperio culpæ reus aestimatur.

LXXXVI.

Meminimus D. Melanchthonem olim in disputatione publica pronunciaisse, nihil magis Asinimum cogitari posse, quam quod Franciscanus quidam Coloniensis Concupiscentiam appellavit rem bonam, ut lumen solis. Si carni, inquit, præciperetur, non concupisces, perinde esset ac si Deus præciperet Soli & Lunæ ne lucerent.

LXXXVII.

Quid verò de subtili Thoma decernemus, qui ipsam infidelitatem negat peccatum in mente vel voluntate existens. Vocat autem Actum intellectus, qui quatenus à voluntate imperatus est, peccati nomen acquirat. Quid hoc aliud est, quàm nega-

negare quod infidelitas per se sit peccatum, perinde ac si quis diceret *ārum iār* non esse *ārum iār*.

LXXXVIII.

Ad ista dictata examinetur sententia Bellarmi-  
ni (quod peccatum à voluntate propriè fieri dica-  
tur & in sola voluntate formaliter reperiatur) Aut enim sibi mutuo aduersantur, cum Thomas  
etiam infidelitatem inficietur esse peccatum in  
voluntate existens, Bellarminus autem peccatum  
formaliter tantum in voluntate constituat: aut am-  
bo excipiunt infidelitatem ab isto censu peccati,  
quod profecto absurdum est.

LXXXIX.

De intellectu verò manifestus consensus est  
inter Thomam & Bellarminum, vt cum dicant  
animam esse subiectum & efficientem peccati, id  
propriè, vt de voluntate, nolint accipi de Intelle-  
ctu. Atq; hinc illæ nimia laudes notitarum natu-  
ralium, quibus Philosophi gentiles ad vitam æter-  
nam peruererint.

XC.

Imò illa exactuum accidente resultans deor-  
dinatio non permittit omnia opera non renato-  
rum esse mala & peccata, & sic fulmen peperit

D 3

Triden-

Tridentini Concilij: Si quis dixerit op̄era omnia,  
quæ ante iustificationem fiunt, quacunq; ratione  
facta sint, verè peccata esse &c. Anathema sit.

XCI.

Bellarminus contra conscientiam Lutherum  
infestatur propter illam sententiam: Omnia infi-  
delium opera sunt peccata: Fatetur enim dicti  
Gen. 6. hanc esse mentem. Cogitatio cordis hu-  
mani non est nisi malum. Tom. 1. Cent. 1. l. 2. c. 12.  
p. 154.

XCII.

Peccatum illud idem auget alia impietate.  
Verba enim Domini, quorum perspicuitate con-  
fessio veri sensus ipsi extorta fuit, hyperbolēn ha-  
bere criminatur. Hoc insigne documentum est,  
Bellarminum suā libidini, non veritati studere, &  
decretis Papæ potius, quam Spiritus sancti esse  
addictum.

XCIII.

Reuocent autem isti adulatores Papæ sibi in  
mentem quod Paulus dicat: Quicquid non est ex  
Fide peccatum est. Rom. 14. Et quod Lombardus lib. 2. dist. 41. idem dictum cum hac glossa ci-  
tet: Omnis infidelium vita peccatum est. Talis  
etiam

etiam est veritas Dei in Injustitia detenta, quantumvis illi assentatores aliud fingant.

XCIII.

Concludentes tandem hanc de notitijs naturalibus disputationem post alia hoc postremum commodum auferimus, quod collatio naturalis & spiritualis scientiæ hanc solam veræ Theologiæ & salutaris cognitionis Dei proprium fontem monstrarit & aperuerit, itaq; ex naturæ lacunis sapientiæ saluificæ nihil promiserit.

*Spiritus Iehonah Sanctus doceat &  
regat nos perpetuo,  
AMEN.*





Thes de anima*ū* statu post mortem.

Thes de Ecclesia triumphantē.

De sanctis religio et inservit eius cultus catenisque spectantibus.

Item: Thol. de sacramentis in gr.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis ac non insitis et disciplinā ex cōditis, D. Hofmanni.

Thes: de justificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUGII.

~~Thes:~~ Propos: de justificatione gratia facianos sibi Ferinarii.

Assert: Thol: De justificatione hominis coram Deo, Polyc: LYSERI.

Prop: repetentes summa trahit de justitia fidei & boni opib, M. Fleischer, M. Bergii

De Ecclesia triumphantē in celis disputationes 2, quā una de sanctis in vita aeternitatis beatitudine agit M. Volekunni, altera de sanctis cultu agit M. Gameri.

Disp: de Prudentia dei Wolfi.

Disp: 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezech: in quā explicant ist. 3.

1. qd sit gog Magog, Babil, Persida. 2. p̄ se vocab: Turca significantur  
3. qd Turca sunt flagella quo dñs castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp: altera de Turcā, ex c. 38 & 39 Ezech: tota in refutando diuī cap: p̄fita, qd GESNERI.

Disp: 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima disruptionis Turcarū in Ecclesiam. 2. de populo ad loco nō ubi ista crescent. 3. Quas ob causas Turca Christianis immittat. 4. Causatione fit repudiandus. F. Quo pacto neq; armis tamen Mahometistarū fūndit sint delendi, qd GESNERI.

Propos: de Ecclesia HURNII.

Thes: de Predestinatione D. FREDERI.

Thra de reali communione idiomata in unā Personā tri, M. Berndes.

Thra de Baptismo capite papie D. RUGII.

Thes: de Sacramentis in gr. GESNERI.

Item: Theologia de cruci corporis Christi in cena maledictione & dictib; sacrificiis D. GESNERI.

Item: Thol: de communione idiomata reali testiū grū, D. GESNERI



**Farbkarte #13**

B.I.G.	Black	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	
Inches																					
Centimetres																					



THESES  
DE  
**NOTICIIIS DEI ET  
VOLVNTATIS IPSIVS,  
HUMANIS ANIMIS NATVRA  
insitis & disciplina exultis,  
de quibus**

*PRÆSIDE DANIELE HOFMANNO  
SS. TH.D. & professore, respondet  
Exercitij gratia*

M. CASPARVS PFAFRADIVS,  
ciusdem Facultatis Lector publicus.

*Mense Maio.*

In Academia Iulia.



HELMAE STADII  
Excudebat Iacobus Lucius Anno 1593.

